Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36640
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

interni spiritaliter sapiunt et iam advenae
comedunt quae cives legis manducare noluerunt.
Sine grege unigenito sit laus aeternae sapientiae
qui vivit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti
per omnia saecula saeculorum amen. EXPLICIT OMELIA III.

INCIPIT OMELIA IIII.

Per sanctum prophetam spiritum per pinnata animalia
quae hic subtiliter describuntur ut haec evangelistas
significare personas ipsa nobis subtilitas descriptionis
aperiret. Nihilque sermo dei nostri intellectui
dubietatis relinqueret. Ecce enim dicitur: Similitudo
autem vultus eorum facies hominis et facies leonis
a dextris ipsorum quattuor. Facies autem bovis a sinistris
ipsorum quattuor et facies aquilae desuper ipsorum quattuor.
N[ota] or de IIII faciebus evangelistarum.
Quod enim quattuor haec pinnata animalia sanctos quattuor
evangelistas designent, ipsa uniuscuiusque libri evangelici exordia testantur. Nam quia ab humana
generatione coepit, iure per hominem Matheus.
cla Quia a clamore in deserto, per leonem Marcus.
Quia a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas.
Quia vero ab aeternitate verbi coepit, digne per aquilam
significatur Iohannes, qui dicit: In principio erat